



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De clandestina desponsatione. Consilium DXXXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

riens quis fecisse dicitur, à quo vivens longo tempore semper se retraxit, probabiliter admodum sustineri posset contrarium; ut pleraque in eo responso sunt, quæ à Iuris veritate recedunt.

21. Sed præsupposita veritate ejus opinionis, nihil facit ad sustinendam prædictarum prolium legitimatorem. Nam quibus veritas contractus sufficit, quique non faciunt discrimen inter contractum in facie Ecclesiæ celebratum, & eum, qui domi, omiſſa solemnitate juris, contrahitur, hoc requirunt, quod indubitata extet probatio contractus; hoc est, quod convocatis amicis, & vicinis, nemine serioſo excluso, contractum sit matrimonium, l. Si vicinis C. De nuptiis, Panor. in d. c. Ex tenore n. 4. Vnde etiam in specie per Geminianum tractata, d. conf. 66. nulla est quaestio de veritate contractus; de qua in hac causa principaliter ac primariè quaeritur: nam uti priore responso deduximus, nulla est integra aut femiplena probatio contractus per Annam allegati. Sic quod cum neque Anna, neque dictæ proles unquam fuerint in possessione putativi matrimonii cum Orthone contracti, & de quo nemo, nisi mortuo Orthone, quicquam audivit; nihil omnino sit, unde legitimatio prolium, multò minùs matrimonium sustineri possit: præsertim quod Frater Matthias Religiosus Ordinis Prædicatorum ejus confessarius in prima instantia productus testificetur, quod ei adfuerit, ejusque confessionem audierit, etiam ante illud tempus, quo Anna dicit se matrimonialiter, interveniente Pastore, Orthoni conjunctam fuisse, quodque idem Ortho vix potuerit loqui, aut confiteri: ut nullà ratione verosimile sit, crescente semper morbo usque ad mortem statim subsequutam, Orthonem potuisse celebrare contractum, à quo in vitâ semper abhorruit, & jure se non potuisse celebrare declaraverat. Quæ cum vera sint, facile percipitur, quam temeraria sit Anna jurissurandi & expurgationis oblatio; & quàm parum idonea sit conditio ejusdem Annæ ad hujusmodi anceps juramentum subeundum, pro assertionem matrimonii, consanguinitatis, ac successionis in tam amplam & divitem familiam.

De clandestina desponsatione.

S V M M A R I V M.

Matrimonium clandestinum.

1. Matrimonium illicitè contractum separari debet.
2. Affinitas contrahitur etiam ex illegitimo coitu.
3. Matrimonium clandestinum quod dicatur.
4. Religiosus in matrimonii contractu testis esse non potest.
5. 13. Denuntiationum & bannorum remissio quid operetur in contractu matrimonii.
6. Matrimonii contrahendi dispensatio ut obtineatur utaliter omnia impedimenta narranda.
7. 14. Ignorantia impedimenti in matrimonio quid efficiat.
8. Clandestine contrahentes matrimonium consentur esse in affectato dolo.
9. Doli præsumptionem habent quæ clam sunt etiam in rusticis, muliere, & minore.
10. Liberi ex clandestino matrimonio illegitimè nati quando efficiantur legitimi.
11. Legitimationem petens debet narrare existentiam aliorum liberorum.
12. Pater habens liberos legitimos potest citare illegitimos legitimari.

CONSILIVM DXXXIV.

IN anonyma facti specie nobis proposita, quam pro repetita hic haberi volumus, quaestionibus eo, quo proposita sunt, ordine respondere paucis conabimur.

Primæ igitur quaestioni facillimum est respondere; quia certissimum est, matrimonium contractum in aliquo gradu affinitatis prohibitorum, esse ipso jure nullum; & quod simulatque constiterit de tali impedimento, separari debent vir & mulier taliter de facto conjuncti: etiamsi uterque ab initio ignoraverit tale impedimentum, c. n. & c. Non debet de consang. & affinit. & ideo cum D. de cujus matrimonio quaeritur, fuerit consobrina C. quæ cum A. præteritus maritus, adulterium antea commisit, & sic eidem A. secundo gradu affinitatis conjuncta; sequitur quod D. non potuerit dicto A. nubere, & de facto contractis nuptiis eum eo, legitimæ uxoris loco minime haberi, can. Quidam lex, can. Perro xxxv. quest. 3. * Contrahitur enim affinitas non tantum ex legitima conjunctione; verum etiam ex improposito legibusque damnato coitu, c. Discretionem, in d. c. l. v. Nec affinitas & ibi Panor. & in c. Ex literis de eo qui cognovit consang. uxoris, c. vnic. & ibi gloss. in v. affinitatis De sponsalib. lib. 6. Et quia hæc res certissima est, supervacaneum foret eidem diutius insilire.

Absoluta sic igitur primâ quaestione, accedamus ad secundam; quæ quaesita est, an hoc matrimonium inter A. & D. affines in secundo gradu affinitatis contractum, prout in specie facti proponitur, censi debeat publicè, vel in facie Ecclesiæ contractum? * Et videtur non esse clandestinè contractum, sed in facie Ecclesiæ; scilicet coram presbytero, & fortè proprio A. & D. sacerdote, in templo seu monasterio & loco sacro, proclamationibus bannorum remissis per habentem facultatem remittendi, præstito per utrumque juramento exigi solito bannis remissis. Nam si palam est, quod sit coram pluribus, l. Palam & ibi Alciat. De verb. significat. hoc est duobus (pluralis enim locutio duobus contenta est, l. Vbi numerus de testib.) ex natura contrariorum clandestinum videtur dici non posse, in quo præsentibus fuere annulus presbyteri, & mulier sponsæ ornatrix; præter moniales; quæ per cancellos clausuræ prospectantes, hunc contractum iniri viderunt. Sed verius est, hoc matrimonium taliter contractum, fuisse & esse clandestinum, & minime in facie Ecclesiæ contractum: jura enim quæ loquuntur de matrimonio in facie Ecclesiæ; vel in conspectu Ecclesiæ contracto, c. Cum inhibito §. si quis verò in fine De clandest. desponsal. c. Ex tenore Quis sit legit. c. Constitutus de convers. coniug. intelliguntur de matrimonio contracto in conspectu Ecclesiæ, hoc est collectionis fidelium; ut bene declarat Panormitanus, in d. c. Cum inhibito & ibi Prepositus post alios plurimos, quos illic referunt. Ac proinde satis non sit sacerdotem ad præeundum in verbis contractus adhiberi; quia solus sacerdos non est Ecclesiæ; accipiendum nomen Ecclesiæ in materia subiecta, prout Panormitanum accipere diximus. Neque facit, quod testes duo aut plures adfuerint: nam cum hæc res in solennitate juris versetur, sic ut non sit satis de veritate constare; non sufficit adhibitio

T 1 2

testium

testium ad excusandum initium clandestinitatis. Ecclesie enim, hoc est congregationi fidelium, ut inquit Panormitanus in d. c. Cum inhibito nu. 9. innotescere statim ab initio debet matrimonium, & veritas quidem contractus subesse debet, ut verè sit matrimonium; nam & clandestina matrimonia utique matrimonia sunt, Panor. & alii in c. 1. per illum text. de clandest. despons. can. si quis divinis xxx. quest. 5. & liberi ex his nati verè legitimi, c. Quod nobis qui filii sint legit. (loquendo secundum terminos juris antiqui & ante Concil. Tridentinum receptum & publicatum) sed veritas sola non efficit, ut non sit clandestinum matrimonium. Secundò, quòd januis clausis dicatur contractum: nam id efficit, ut contrahentes nullo modo videantur voluisse esse publicum; atque ita eos non tantum facto, sed etiam ex proposito, celandi animum & studium habuisse, l. 3. §. fin. D. Quod vi aut clam. Tertio, quòd consuetudo loci, ubi contractum est, non sit servata; tam quoad locum contractus, quam ritum in contractu matrimonii ibi servari solitum. De primo patet, quòd contractum non sit in parochiali Ecclesia, in qua communiter matrimonia contrahi solent, & ad quam multitudo populi confluere solet: sed in templo monasterii Monialium, ad quod pauci confluere solent; imò tempore dicti contractus confluere non potuerunt exclusi janua clausa.

De posteriore etiam constat, quod non precente tibicine, & relecto capite tam sponsus quam sponsa, nullis comitati amicis, ut eleganter in simili specie consultat Marian. Socin. Nepos conf. 86. in 2. vol. n. 46. cum seq. & ne parentibus quidem (cum tamen mater utrique superstes esset) non una & publica via, sed per diversas & vicinales vias ad dictum templum venerit; neque illud ipsum per ostium, quod ad viam publicam patet, ingressi sunt; sed per monasterium ad illud per diversas portas admissi. Quod ipsum est, quod Baldus dicit, conf. 148. n. 12. In casu proposito in 1. parte, & probatur xxx. quest. 5. per tot. Socin. conf. 17. Supradicta causa vol. 1. clandestina matrimonia esse, quæ sunt sine festivitate sponsalium, & sine turba amicorum congregata; præsertim si etiam fiant coram minore numero quam quinque personarum. Quorum nullum hic intervenit: nam Monialium per cancellos prospicientium testimonium nullum est. * Religiosa enim persona religionem professæ, existens sub obedientia sui superioris, utiliter eam in re testis esse non potest: prout in simili eleganter respondit Socinus, d. conf. 17. in fine. His accedat temporis conditio; ex eo, quòd eo tempore ad dictum templum venerint, quo etiam omnes absoluti sacris abierant. In summa omnes circumstantiæ actus gesti in clandestinitatem & furtivum actum sonant: non quidem solum ob omissionem denuntiationum seu bannorum; sed quòd in facie Ecclesie contractum non fuerit.

Neque verò excusari potest hoc vitium clandestinitatis per remissionem denuntiationum seu bannorum: nam etiam si per illam denuntiationes remissæ sint; sine quibus alioqui matrimonium contractum non dirimitur, gloss. & DD. in d. c. Cum inhibito; potestas tamen contrahendi loco & forma quibus vellent, non censetur concessa: diversa enim & separata hæc sunt, neque unum ex altero

sequitur, l. Qui secundum D. Pro emptore, l. Naturaliter §. nihil commune & ibi Iason De acquir. possess. Eoque minus, quòd verosimile non sit, Vicarium Episcopi remissurum fuisse banna, si expositum ei fuisset, contracturos isto modo intendere solemnizationem matrimonii procedere: sic enim fraudem, dolum & impedimentum facile suspicari potuisset; & ob id nullà ratione permisisset sine denuntiationibus publicis procedi ad solemnizationem; & sic per circumventionem & surreptionem impetrata remissio prodesse non debet, c. Super literis de rescript. Denique cum denuntiatione ipsa per se sole non faciant contractum publicum, nisi etiam re ipsa postea publice de facto contrahatur matrimonium, d. c. Cum inhibito in V. contrahenda; multò minus ipsa bannorum remissio id efficere potuit; quæ ut eventus docuit, ad hoc potissimum impetrata fuit, ut impedimentum quod suberat non detegeretur.

Ad tertiam quaestionem dubia satis videtur resolutio; sed magis est, ut dicamus dispensationem non valere: stante enim resolutione, de qua ad primam quaestionem, contractam fuisse affirmatam inter A. & D. impedivitam futuri inter eos matrimonii; nihil facit ad validitatem matrimonii postea impetrata dispensatio; eo quòd multis modis sit surreptitia & ideo nulla, d. c. Super literis. Non quidem od id solum, quòd A. narrare prætermiserit superstitibus sibi fuisse ex primo matrimonio proles: nam quamvis id omissionem obstat prolium ex hoc clandestino & illicito matrimonio ante dispensationem natarum legitimisationi; quæ alioquin venire solet in consequentiam contracti confirmati: postea matrimonii, cap. Quod nobis cap. Tanta qui filii sint legit. & in ipsis literis dispensationis expressa est, ob rationem in hac tertia quaestione adductam; de qua postea dicemus: matrimonio tamen ipsi secundo minime obstat. Nam primæ nuptiæ aut liberi primarum nuptiarum non sunt impedimento, quò minus secundæ contrahi possint; cum legitimatio in defectum liberorum legitimorum inventa sit. Sed potissimum propter falsam narrationem illius, quod Pœnitentiarius Domini Papæ movere potuit, ut concederet; quòd scilicet publicè contractum fuerit matrimonium: quod, ut superius deductum est, verè clandestinum matrimonium fuit. Deinde propter suppressionem veri, quo moveri potuisset idem Pœnitentiarius, ut denegasset, si expressum fuisset; perjurium scilicet, quod A. pro usu remissionis bannorum admisit; jurando se nescire aliquod legitimum impedimentum, cum id ignorare non posset. Cum igitur vitium clandestinitatis sic sublatum non fuerit; nec super eo dispensatio obtenta; non debet dispensatio, super alterius generis conficto matrimonio obtenta, ad aliud verè inutiliter contractum, vires suas extendere.

Ad postremam quaestionem de iure succedendi harum prolium ex A. & D. & sic clandestinè contracto matrimonio natarum, respondemus eas ad bona A. nullum habere aditum: ob id, quòd sint incestuosæ & illegitimæ, Authent. Ex complexu C. de incest. & inutil. nupt. secundum ea, quæ ad primam quaestionem de invaliditate hujus matrimonii diximus. * Adversus quam nihil facit ignorantia D. quòd ignoraverit mariti sui cum C. consobri-

na sua

na sua adulterium: nam quamvis id ad legitimatorem prolium profit, publicè & in facie Ecclesiæ contracto matrimonio, etiam si alter contrahentium impedimentum sciat, c. Ex tenore, c. Referente & ibi gloss. Qui filii sunt legit. huiusmodi tamen ignorantia in casu præfenti non relevat: ob id, quod secundum ea, quæ diximus, prædictum matrimonium clam & secretò sit contractum, & non publicè seu in facie Ecclesiæ; quo casu prædicta juris theoricæ in bona fide parentum fundata cessat, per expressum text. in c. Cum inhibito De clandest. despons. ad quod omnia alia capitula trahenda sunt, loquentia de legitimatorem prolium ob ignorantiam unius vel alterius contrahentium. * Nam sic clandestinè contrahentes, videntur esse affectatores ignorantia, Gloss. in d. cap. Cum inhibito: ex clandestinitate enim dolus præsumitur & scientia, l. fin. de ritu nupt. l. Non existimo De administr. tutor. Phil. Corneus conf. 61. nu. 10. p. 3. Iason d. l. Clam possidere nu. 6. Dom. Genm. conf. 27. in fine. Vnde dixit Ancharanus, conf. 409. Viso & diligenter in primis, quod clandestinè contracto matrimonio inter cognatos aut affines, ignorantia parentum non faciat prolem legitimam: quasi à pari procedant, clam aliquid agere, & malà fide, Iason in d. l. Clam possidere n. 10. in qua semper est scientia. Et hoc est, quod ait Baldus, d. conf. 148. clandestina matrimonia valere, si non subit aliquod impedimentum: quo casu valere non possunt, sed trahunt se cum presumptione scientia impedimenti & doli: & ut re verà ac sit ignorantia juris, tamè præsumptione removetur; aut si non removetur non prodest.

Ut generaliter in omnibus, quæ occultè & secretò aguntur quoad mulierem, rusticum vel minorem; ut eleganter dicit Ludovicus Romanus, consil. 506. nu. 5. ex gloss. l. 1. c. De interd. matrim. Certum igitur est ignorantia D. non sufficere ius legitimatorem dictarum prolium.

Restat ut videamus, an superveniens legitimatio seu dispensatio per Pœnitentiarium S. D. N. Papæ concessa, tollat maculam genitura? Et sane obiter antea attigimus, duplicem hîc esse inspectionem seu inutilitatem: nam altera ad matrimonium ipsum, seu illius radices pertinet; altera ad solam legitimatorem peculiariter refertur de priore inutilitate satis superius dictum est; quod scilicet ex duplici capite, obreptionis scilicet & surreptionis, non valeat legitimatio & approbatio matrimonii; & per consequentiam nec liberi virtute confirmationis huiusmodi per dispensationem ius legitimatorem consequuti sunt; velut deficiente principali, l. Cum princeps causa De reg. iur. * Imò amplius addimus, si quoad radices matrimonii teneret dispensatio, nullà speciali mentione legitimatorem liberorum facta; adhuc tamen liberi ante eam dispensationem per D. obtentam non conferrentur legitimi: hoc enim interstet inter clandestinum matrimonium, quod propter clandestinitatis vitium aliud quoque præterea impedimentum seu conjunctionis prohibitionem habet; & illud, quod simpliciter clandestinum est: hoc enim per Ecclesiæ approbato, liberi etiam ante approbationem nati sunt legitimi; illo verò approbato, qui ante approbationem nati sunt, illegitimi manent, Gloss. in d. c. Quod nobis, quam ibi ex sententia Calderini approbat Pavor. & idem dicit ibid. Hostiensis.

Quod autem ad posteriorem causam inutilitatis huius dispensationis attinet; dicendum est, hanc dispensationem viribus non subsistere, neque proles susceptas illius vigore legitimas esse, ad effectum, ut suis possint succedere parentibus: quia ut pater habens legitimos filios ex priore conjugè præmortuâ, possit impetrare legitimatorem pro filio illegitimo, debet mentionem facere de fratribus legitimis ipsius legitimandi; alioquin dispensatio vel legitimatio obtenta in præiudicium filiorum legitimorum, nullius solet esse roboris, §. illud & §. si quis vero filios legitimos non habens in Authent. Quib. modis natu. offic. sui. Equidem si Papa scivisset A. habere legitimos filios, non tam facile legitimasset incestuosos, in præiudicium legitimorum. Tale ergo tacitum vitiat concessionem, c. Super literis De rescriptis: quia solent legitimaciones concedi in solatium deficientium legitimorum, §. si uirina Instit. de adopt. & l. Mulierem C. eod. tit. Si enim Papa hoc casu legitimare voluisset illegitimos, existentibus legitimis filiis, dixisset, non obstante quod legitimandi fratres habeant legitimos; quod minime fecit. Ad probandam autem mentem Papæ, dum agitur de præiudicio tertii, fieri debet mentio præiudicii illius tertii, c. Super eo de offic. deleg. ita sentit Præpositus in c. Per Venerabilem §. quid autem Qui filii sunt legit.

Non tamen negamus, quin pater habens filios legitimos, possit absque ipsorum consensu, impetrare legitimatorem aliorum suorum filiorum illegitimorum, quod quidam sultinent, per l. Neque D. de adopt. Sed dicimus non valere horum legitimatorem, nisi appareat Papam vel Principem legitimantem certiore factum, patrem impetran-tem habere alios filios legitimos: quia non tam facile inclinatur neque movetur ad concedendam talem gratiam, quando scit extare alios legitimos; quam dum intelligit legitimos deficere, Ant. de Butrio in d. c. Per venerabilem & conf. 2. Visis. Pater ergo suo consensu potest præiudicare filiis legitimis, quos habet, prædicta: & nisi mentionem illorum faciat, legitimos extare, non specialiter inferat, Ioan. Andrea in addit. ad Specul. valet legiti- ab mresl. §. 1. vers. Item scias. Hanc eandem sententiam tenet Philip. Decius, in conf. 392. Queritur an filia n. 4. dicens, quod ad hoc, ut legitimatio facta, extantibus filiis legitimis & naturalibus, valeat, requiratur quod hoc in privilegio expresse dicatur: si enim scivisset Pontifex extare legitimos, non tam facile dispensasset; & ideo legitimatio vitatur. Ita etiam censuerunt Alexand. conf. 25. Circa primum dubium col. pen. vol. 1. & conf. 195. Assumo vol. 1. & Philip. Corneus conf. 92. Primo aspectu n. 12. vol. 2. asserentes legitimatorem surreptionem ex eo, quod filiorum legitimorum & naturalium mentio facta non fuerit.

Novissimè si quis dicat superius obiter tractatam remissionem solemnitis denuntiationem ac ban- norum prodesse natalibus horum liberorum, quia placuerit Episcopo, quod illæ personæ omnis bannis possent in loco sacro contrahere; & illarum matrimonium solemnizari per sacerdotem;

& ex hoc inferre velit illas personas, quæ usæ inveniuntur dispensatione & gratiâ sibi concessâ, nullam poenam incurrisse, l. *Gracchus* C. *Ad leg. Jul. De adul.* & ita meritò proles natas (præsupposito quoddam D. ignoraverit tempore conceptionis impedimentum) censerî debere legitimas: huic facillimè respondere poterimus, si effectum gratiæ, quam facit Episcopus, dum banna remittit, intelligamus. Hoc enim agit, dum permittit, ut matrimonium solemnizetur omîssis bannis, quod procedentes omîssis bannis non possint puniri: qui tamen, si hoc illis permissum non esset, quamvis nullum obesset illis canonicum impedimentum, punirentur, d. c. *Cum inhibito* §. *fin. vers. sed his qui taliter*, & ibi per gloss. in verb. *penitentia*, & c. i. de *matrim. contra interd. Eccles. contracto*. Vel si dicere velimus, quoddam remittens banna, permittat, quoddam matrimonium possit contrahi & celebrari absque publicatione, quam requirit d. c. *Cum exhibitio*, quod absque illa publicatione fit, non fieri in facie Ecclesiæ; & sic inferre, quoddam remittens banna permittat, ut fiat extra faciem Ecclesiæ: quod non creditur, nisi id apertè dicat; cum sint planè distincta illa duo: huic similiter potuerimus respondere (etiam illo admisso, uti priùs diximus, scilicet permittendo illa omnia concedi, quod taliter contrahentes non puniantur propter matrimonium clandestinum) quoddam quamvis parentes non puniantur; quia permissione Episcopi contraxerint omîssis bannis, & extra faciem Ecclesiæ: tamen proles, quæ nascuntur altero parente ignorante impedimentum, non erunt legitimæ. Licet enim alterius parentis bona fides sufficiat ad prolis legitimætionem: hoc tamen procedit demùm, quando matrimonium in facie Ecclesiæ fuit contractum; hæc enim duo simul, & copulativè requiruntur, d. c. *Ex tenore*. Neque tanta & tam efficax est bannorum remissio facta per Episcopum, ut proles nata ex matrimonio, quod Episcopi permissione extra faciem Ecclesiæ celebratum, datâ bonâ fide alterius parentis, possit esse legitima; propterea quoddam canon requiratur ad prolis legitimætionem illa duo copulativè, ut dictum est. Item Episcopus remittens banna; aut permittens expressè quoddam extra faciem Ecclesiæ possit certæ personæ matrimonium contrahere; non aliter admittere solet, quam si quoddam uterque juret nullum subesse impedimentum; neque se scire aliquod impedimentum, & ita banna non censetur velle remittere, quando alter scit impedimentum subesse; prout A. in casu præsentis impedimentum non ignoravit, ut præsupponitur in themate nobis proposito. Quamvis ergo D. excusetur à pœna contrahentium clandestinè, propter dispensationem obtentam, & ejus tamen proles non idèò censendæ erunt legitimæ: quia in potestate Episcopi non est legitimare proles, quas Canon declaravit illegitimas; quæque ex illo matrimonio procreatæ sunt, quod in facie Ecclesiæ contractum non est, d. c. *Cum inhibito* & d. c. *Ex tenore*.

Concludendum igitur videtur, prædictum matrimonium esse nullum; & præterea clandestinè esse contractum; dispensationemque obtentam non

valuisse; & proles ex A. & D. natas, neque fuisse legitimas, propter solius impedimentum ignorantis bonam fidem; neque vigore prædictæ dispensationis, nullâ factâ mentione filiorum legitimorum, obtentæ: & consequenter non posse has proles succedere cum legitimis in bonis A. patris nunc defuncti. Ita ut præmittitur, videtur nobis Ruaro Tapper ab Enchusâ Sacræ Theologiæ Professori ac præclarissimæ Universitatis Lovaniensis Cancellario; Magistro Michaeli Driutio V. I. Doctori & Officiali Leodiensi; necnon Ioanni Wamessio V. I. Doctori ac in eadem Universitate Lovaniensi Professori, ad ea, quæ præponuntur, secundum canones & leges respondendum esse.

De Sponsa duorum.

S V M M A R I V M.

Vxor duorum.

1. Matrimonium an, & quando esse possit inter eos, qui se polluerunt adulterio.
2. Testes singulares, etiam in causa matrimoniali nihil probant.
3. Usurarius an matrimonium contrahere possit.
4. Testes in una causa producti quando probent in alia.

CONSILIUM DXXXV.

IN causa matrimoniali, quæ coram Venerabili Domino Officiali Antuerpiensi pendet, inter M. Antonium Someren Medicinæ Doctorem Actorem; & Domicellam Iudith Munick-huyssen Ream; id præcipuè quaritur, num dicto Actori petenti separationem, seu diremptionem matrimonii, etiam quoad vinculum, oster propria scientia, quoddam scilicet vel tempore contracti cum Rea matrimonii, vel post illud sciverit, Laurentium G. priorem dictæ Reæ maritum adhuc vivere; ad hoc, ut non possit petere hanc separationem, sed cogatur etiam invitus dictæ Reæ adherere; ex eo etiam, quoddam post mortem dicti Laurentii, Reæ in continua habitatione, & copulâ adhuc sit per plures annos? Existimat sanè id Rea, ideoque huiusmodi scientiæ probationem conata est conficere; sed irritò conatu: quippe ut maximè probata sit huiusmodi Actoris scientia, nihil id Reæ processu potest, sed punitum obesse.

Eo enim constituto, sine negotio statim concluditur hoc inter Actorem & Ream de facto contractum matrimonium, eo loco esse, ut non tantum ab actu fuerit nullum, (nulla quippe potest esse matrimonialis conjunctio legitima cum illa, quæ alteri adhuc nupsit, c. 2. *De sponsa duor.*) sed præterea nullo unquam tempore convalescere potuerit, vel possit; sublato etiam impedimento ex dicto Reæ priore matrimonio per sequentem mortem Laurentii.

Nam ita aperto jure definitum est, ut si contrahentes matrimonium, uterque sciat, vel utrumque, vel alterum ipsorum esse conjugem alterius adhuc viventis, ab initio inter eos nullum omnino sit matrimonium; & usque adeo nullum, ut mortuo priore conjugè nec tacitè ex conabitatione, quamvis longissimâ, nec expressè ex novo consensu, seu contractu inter eos coalescere possit matrimonium, sed omnino separari debeat huiusmodi adultera cohabitatio, c. *Cum haberet*, c. *Super hoc* De